

legi peccati hic aperte p̄dicat se legi peccati seruire. Et
Dauid ait. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia
non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hic
etiam seruus Dei deprecatur iudicium. Item, Beatus vir
cui non imputat Dominus peccatum. Semper igitur in
hac infirmitate nostra adest peccatum, quod imputari
poterat, de quo paulo post inquit. Pro hoc orabit ad te
omnis sanctus. Hic ostendit sanctos etiam oportere pe
tere remissionē peccatorum. Plusquā cœci sunt, qui ma
los affectus in carne non sentiunt esse peccata, de quibus
Paulus dicit, Caro concupiscit aduersus spiritum, spi
ritus aduersus carnem, caro diffidit Deo, confidit re
bus p̄sentibus, querit humana auxilia in calamitate, etiam
contra voluntatem Dei, fugit afflictiones quas de
bebat tolerare propter mandatum Dei, dubitat de Dei
misericordia &c. Cum talibus affectibus luctatur spiri
tus sanctus in cordibus vt eos reprimat, ac mortificet,
& inserat novos spirituales motus. Sed de hoc loco in
fra plura testimonia colligemus, quanquā ubique obuia
sunt, non solū in scripturis, sed etiam in sanctis Patribus.

Præclare inquit Augustinus. Omnia mandata
Dei implentur, quando quidquid non fit ignoscitur.
Requirat igitur fidem, etiam in bonis operibus vt cre
damus nos placere Deo propter Christum, nec opera
ipsa per se digna esse quæ placeant.

Et Hieronymus cōtra Pelagianos. Tunc ergo ius
sti sumus, quando nos peccatores fatemur. Et iusticia
nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit mi
sericordia. Oportet igitur adesse fidem in illa inchoata
legis implecione, quæ statuatur nos propter Christum ha
bere Deum placatum. Nam misericordia non potest
apprehendi nisi fide, sicut supra aliquoties dictum est.

Quare cum ait Paulus legem stabiliri per fidem,

O non